

esse Moyses, probat ex titulo illo, Oratio Moysi hominis Dei. At nos in explicatione Psalmi superioris ostendimus, Psalmum illum inscribi Moysi, non quod ille fuerit auctor, sed quod David Moysen loquentem introduxerit: & rationem adduximus, cur probabile non sit, Psalmos qui carent titulo, eius auctoris esse, cuius nomen inuenitur in Psalmo precedente. Argumentum Psalmi est cohortatio ad fiduciam in Dei auxilio firmissime collocandam. Id enim in principio ponitur, & per totum Psalmum varijs rationibus confirmatur. Forma Psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Propheta, nunc homo iustus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, & ideo non minus elegans, quam difficilis. Quam vero sit utilis, & ad mores formandos accommodatus, vel ex eo cognosci potest, quod ex vetusto Ecclesia instituto, quotidie in diuino officio frequentatur; idq; ad initium noctis, ut Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo propulsemus.

EXPLICAT. PSAL. XC.

I. **Q**UI habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

Hoc primo versiculo continetur insignis promissio, per quam Spiritus sanctus certos non reddit, auxilium diuinum nunquam defuturum iis, qui verè spem suam in Deo repositam habent. Sed verba singula explicemus. Qui, hæc prima vox significat promissionem esse generalem, quasi dicat Propheta, Quicumq; sit, siue diues, siue pauper, siue doctus, siue indoctus, siue patricius, siue plebeius, siue iuuenis, siue senex: non enim Deus personam accipit; sed diues est in oēs, qui inuocant illum. Habitat. hoc significat, promissionem hanc tam liberalem non requirete quamlibet fiduciam, sed assiduam, constantem, firmam, ita ut homo per fidem, & fiduciam faciat sibi quasi domum in Deo, in quo habitet, & quiescat, & eam quocumq; ierit, circumferat, quo modo testudines faciunt. Vox hebræa, iasab, habet aliquid maioris energice, quam verbum, habitat; significat enim etiam se-

dere, quiescere, durare; itaque sensus erit, qui habitat cum quiete, & perseverantia. In adiutorio, vox hebræa, besether, propriè significat, in abscondito, siue in loco secreto: sed Septuaginta Interpretes explicauerunt metaphoram, cum dixerunt, in adiutorio; adiutorium enim Dei non est visibilis aliqua turris, sed arx inuisibilis, & secretissima, quæ sola fide inuenitur, & penetratur. Vocabulum tamen græcum, & latinum admonet, confidendum quidem firmissimè esse in Deo, sed non esse negligenda ea, quæ studio & labore humano adhiberi possunt. exemplo nobis esse possunt agricolæ, qui sperant in eo, qui dat pluuias de cælo, & solem suum oriri facit: sed interim laborant arando, ferendo, metendo, quia sciunt eos adiuuari, qui aliquid cooperando faciunt. Altissimi. Multa sunt nomina Dei, sed nomen Altissimi hoc loco aptissimè ponitur; nam quia Deus est altissimus, id est, in altissimo loco sedet, ideo omnia videt, & nullum nostrum periculum eum latet. Rursum, quia non solum est altissimus, quia omnia speculatur; sed etiam quia in altissimo throno sedet, & omnia subiecta habet, ideo potest ab omnibus periculis nos eruere. In protectione Dei cæli commorabitur. hæc est altera pars versiculi, in qua promittitur merces confidentibus in Deo: & sensus est, qui verè confidit in auxilio diuino, spe sua non frustrabitur, sed omnino à Domino protegetur. Et pulchrè respondent verba singula singulis; verbo, habitat, respondet, commorabitur; verbo, in adiutorio, respondet, in protectione; verbo, Altissimi, respondet, Dei cæli: sed singula consideremus. In protectione, vox hebræica, bezel, propriè significat, in umbra, siue in umbraculo, ut S. Hieronymus vertit. Septuaginta Interpretes explicare voluerunt metaphoram, & ideo verterunt, In protectione. Deus enim, sub umbra alarum suarum instar Aquilæ, vel Gallinæ protegit confidentes in se: potest etiam umbra significare gratiam & fauorem Principum, quæ umbra facillimè, & longissimè protegit; ut etiam ceruus quidam ubique securus liberè vagaretur, quia scriptum gerebat ad collum,

כסתר

כצל

V u u s collum,

כס